



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 77. Baji errores in Pii V. Bulla proscripti per aliam sententiam damnati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1572.

Denique judicatum fuit, etiam ex conformibus omnium Doctorum deliberationibus, utile futurum, ut de nonnullorum articulorum partibus modesta fiat, & amica Magistrorum inter se collatio, quatenus se mutuo plenius intelligant, & cum majore concordia semper deinceps omnes in idem conspirent, doceantque, cujus etiam collationis capita, & modum scripto comprehendendi, Doctores jubebant: porro hujus rei curam postea demandabant Cornelio Raynerio eo tempore Facultatis Decano ad Sanctum Petrum. His peractis conventus solvebatur, eaque gesta fuere Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo: Bajus vero declarationi eodem anno die vigesima nona Augusti latae, necnon sententiæ eidem propositæ subscripsit, seque eam ratam habere affirmavit.

§. LXXVII.

*Baji errores in Pii V. Bulla proscri-  
pti per aliam sententiam damnati.*

*Acta l. c.  
1572.  
Bajana p.  
178.*

Postquam die prima Maji anno sequenti Pius V. summus Pontifex decesserat, eique Gregorius XIII. subrogatus fuerat, Lovaniensis Facultas, ut suam submissionem novo specimine testatam redderet, die quarta Julii Anno

re-



reparatæ salutis millesimo quingentesimo septuagesimo secundo novum edidit decretum, quo articulos in Pii V. Bulla recensitos, ac proscriptos pariter condemnabat, simulque in eodem confesso statuebat, ut hæc sententia omnibus ad quemdam gradum in Facultate Theologica promovendis prælegatur, iisque severe prohibeatur, ne quempiam ex hisce præscriptis articulis tradere, defendere, propugnare, vel disseminare audeant. Hoc itaque decretum post meridiem ejusdem diei in examine illorum, qui prima doctoratus laurea erant decorandi, prælegebatur, præsentibus Michaeli Bajo, ceterisque Professoribus, ac Rectoribus, quin tamen ullus sese huic sententiæ opposuisset: hac igitur ratione aliquamdiu Lovaniensi Universitati pax reddita fuit.

## §. LXXVIII.

*Patriarcharum Constantinopolitanorum successio.*

Interea usque ad Mensẽ Majum hujus anni Metrophanes Patriarcha vere prudens, ac doctus vir Constantinopolitanam Ecclesiam Græcam gubernabat, cum autem illius regimen ultro abdicaret, eidem subrogabatur paucis post Mensibus Jeremias Anchiali ad Pontum Euxinum natus, & antea Larissæ

Sæcul. XVI.

A.C. 1572.

Turco-Gr.

l. 2.

Spond. ann.

1565. &amp;

1572.

rissæ